Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



318

ad Titum

Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt docentes, que non oportet turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta Cretenses semper mendaces male bestie venters pigri. Testimonium hoc verum est. Cuius ob causam increpa illos dure ut sani sint in fide: non intendentes iudaicis fabulis et mandatis hominum aversantium se a veritate. Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infidelibus nichil est mundum: sed inquinate sunt eorum et mens et conscientia. Confitentur se nosse deum factis autem negant. cum sint abhominati et inobedientes et ad omne opus bonum reprobi:

V autem loquere que decent sanam doctrinam. Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide: in dilectione, in patientia. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes: bene docentes ut prudentiam doceant adolescentulas ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis ut non blasphemetur verbum dei. Iuvenes similiter hortare ut sobrii sint. In omnibus te ipsum prebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum irreprehensibile: ut is qui ex adverso est vereatur nichil habens malum dicere de nobis. Servos domi suis subditos esse in omnibus placentes: non contradicentes, non fraudantes. sed in omnibus fidem bonam ostendentes: ut doctrinam salvatoris nostri dei ornent in omnibus. Apparuit enim gratia dei salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc seculo: expectantes beatam spem et adventum gloriae magni dei: et salvatoris nostri ihu xpi qui dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Hec loque et exhortare et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat:

III

Admone illos principibus et potestatibus subditos esse: dicto obedire: ad omne opus bonum paratos esse: neminem blasphemare, non litigiosos esse sed modestos: omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Eramus enim aliquando et nos insipientes incredeli errantes servientes desideriis et voluptatibus variis: in malicia et invidia agentes odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit salvatoris nostri dei non ex operibus iustitie que fecimus nos: sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis spiritus sancti quem effudit in nos habunde per ihum xpm salvatorem nostrum: ut iustificati gratia ipius heredes simus secundum spem vite eterne. Fidelis sermo est et de hiis volo te confirmare: ut